

campanas in ecclesiis suis pulsare minime possunt: contravenientes autem poenam centum ducatorum incurrunt. Ita habetur ex constitut. Leonis X, quæ incipit, *Sacro approbante*. § *Et ut debitus*, ac refertur a Barbosa, cit. allegat. 105, n. 70.

161. *Quid agendum, si regulares tunc citius absolvant actum solemnem illius diei?* — Unde in casu, quo Ecclesia inferior dicto Sabbato sancto citius absolvit actum solemnem illius diei, citiusque sub missa incipit *Gloria in excelsis*, quam Ecclesia cathedralis, vel major illius loci, non potest ad *Gloria in excelsis* pulsare campanam majorem (bene tamen tintinnabulum intra parietes Ecclesiæ) sed debet expectare, donec campanæ in Ecclesia majore pulsentur; et tunc primum cum illa campanam majorem pulsare.

162. XXXV. *Episcopus compellit regulares ad habendam lectionem sacræ Scripturæ.* — Potest episcopus, tanquam Sedis apostolicæ delegatus, compellere regulares suæ diocesis, ut in suis conventibus habeant lectionem sacræ Scripturæ, ubi commode fieri potest. Ita concilium Trident., sess. 5, cap. 1, *de Reform.*

163. XXXVI. *Regulares debitores extra conventum degentes, possunt in causis civilibus mercedum, et miserabilium personarum, coram ordinariis conveniri.* — In causis civilibus mercedum, et miserabilium personarum, possunt regulares debitores extra monasterium degentes quomodolibet exempti, coram ordinariis locorum, tanquam Sedis apostolicæ delegatis, conveniri, et cogi ad solvendum. Ita concilium Trident. sess. 7, cap. xiv *de Reform.* et amplius explicat Barbosa, cit. allegat. 105, num. 25, bene notans inter alia, quod si regulares degant intra claustra, conveniri debeant coram suo superiore.

164. *Causæ civiles mercedum, et miserabilium personarum, quæ?* — Porro per « causas civiles mercedum, » intelliguntur obligationes solvendi operariis stipendium. Per « causas miserabilium personarum » vero intelliguntur illæ, quæ contra dictos regulares moventur a viduis, pupillis, orphanis, senibus, decrepitis, debilibus, diuturno morbo laborantibus, pauperibus, de novo ad fidem conversis, et cæteris, ad quorum commiserationem natura movemur.

165. XXXVII. *Regulares exempti possunt conveniri coram ordinariis locorum ratione delicti, contractus vel rei, de qua contra ipsos agitur.* — Regulares exempti possunt con-

veniri coram ordinariis locorum ratione delicti, contractus, vel rei, de qua contra ipsos agitur, si hæc inita, vel sita sunt in loco non exempto. Patet hoc ex cap. 1, § 1, *de Privileg.* in 6, et doctoribus passim; licet circa hoc sint notanda ea, quæ numero 171 dicuntur.

166. XXXVIII. *Subjiciuntur etiam ordinariis in reddenda ratione de executione ultimarum voluntatum, si quam gesserunt.* — Religiosus exemptus subjicitur ordinario loci in reddenda ratione de executione ultimæ voluntatis, quam gessit; et si circa eam deliquerit, potest in aliorum exemplum debite puniri, haud obstante exemptionis privilegio. Textus est in Clem. un. *de Testament.* ut notat Lauret. *de Franchis de Controversiis inter episcop. et regul.* part. II, quæst. 5, n. 7; Pirhing, h. t. n. 112.

167. XXXIX. *Item quoad executionem decretorum concilii Tridentini; et quomodo?* — Quoad executionem decretorum concilii Trident. sess. 25, cap. xxii *de Regular.* specialiter subjiciuntur regulares exempti episcopis, seu potius eorum conciliis provincialibus, ut si capitula provincialia, et generalia regularium deficiant in executionem decretorum illius sessionis, tunc in defectum ipsorum concilia provincialia per deputacionem aliquorum ejusdem ordinis provideant. Fagnanus in d. c. *Grave*, n. 73, h. t.

168. XL. *Regulares exempti tenentur episcopo reverentiam præstare, eique in suis Ecclesiis usum baldachini concedere.* — Quamvis ex privilegio quis sit exemptus a jurisdictione episcopi, adhuc tamen tenetur episcopo reverentiam præstare. Hinc cum episcopi venerint in regularium exemptorum Ecclesias ad celebrandum, reverenter recipiendi sunt. Possunt ipsi etiam in regularium Ecclesiis, quantumvis exemptis, populo benedicere, atque in pontificalibus celebrare, sicque uti baldachino, Clem. *Archiepiscopo. 2 de Privileg.* Quinimo juxta decretum sac. Congregationis episcoporum et regularium 1608, die 11 junii emanatum, et a Clemente VIII approbatum, regulares, et alii exempti, nolentes assentiri usui baldachini, possunt ab eisdem episcopis per censuras, et poenas ecclesiasticas ad hoc compelli, prout amplius liquet ex tenore dicti decreti, quod verbatim refert Lauret. *de Franchis, de Controversiis inter episcopos et regulares*, part. I, n. 378, et Barbosa, cit. part. 3, allegat. 80, n. 16.

169. *Alii casus, in quibus regulares exempti*

subsunt episcopis. Remissive. — Dantur nonnulli alii casus, in quibus regulares exempti episcopis subjecti sunt, sed ii, utpote minus notabiles, brevitate gratia hic omittuntur, poteruntque suo tempore videri apud Ascanium Tamburinum cit. tom. III. *de Jure abbatum.* disp. 5, quæst. 11; Fagnanum in d. c. *Grave*, h. t.; Barbosa cit. part. III, *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 105, et alios.

170. *An prædicti casus afficiant quoslibet regulares exemptos? Remissive.* — Utrum autem omnes memorati casus afficiant quoslibet regulares exemptos, etiam eos, qui plene sunt exempti, non est hujus loci investigare: videantur quoad singulos casus canonistæ regulares, ex professo tractantes de privilegiis regularium.

171. *Religiosi alii habent exemptionem communem, alii sunt plene exempti, ut mendicantes.* — Solummodo generatim loquendo est notandum cum Emman. Roderico, tom. III, *Quæst. regular.* q. 70, art. 5, post Richardum in 4, dist. 45, q. 2, art. 5; Sylvestro *Testamentum II*, n. 2, additione ad cit. Lauret. *de Franchis*, part. II, quæst. 5, num. 18; Angelo Armilla, et aliis, quod religiosi alii habeant exemptionem communem; et tales, inquit, possunt conveniri ratione delicti, vel contractus, coram ordinario, ut dictum num. 165. Alii vero religiosi sunt plene exempti: cujusmodi non possunt conveniri coram ordinariis locorum, nisi in specie sit derogatum privilegiis. Et tales sunt omnes mendicantes, et qui communicant in privilegiis eorum; prout fuse ostendit Emman. Rodericus, loc. cit. tom. II, quæst. 64, art. 3, ubi inter alia adducit Clementem IV, qui Fratres Minores exemif, ita quod, non obstante constitutione Innocentii IV non teneantur, etiam ratione delicti, contractus, seu rei, de qua agitur, locorum ordinariis subjacere, decernens irritum et inane, quidquid secus attentari contigerit. (ADNOTATIO X.)

TITULUS XXXII

De Officio Judicis.

1. *Ratio ordinis titularum.* — Postquam visum est de officio judicum tum delegatorum, tum ordinariorum in specie, subjicit compilator præsentem titulum de officio judicis in ge-

nere: et imitatus est quoad hunc ordinem juris civilis, quod lib. I. *Digestorum* specialium, tractat de officio, et jurisdictione singulorum, et magistratum: et postmodum libro II agit in communi de jurisdictione omnium judicum. Nos præsentem materiam majoris claritatis gratia in paragraphos dividemus, haud obstante quod præsens titulus non nisi duobus capitulis constet.

§ I.

DE JUDICE, EJUSQUE OFFICIO GENERATIM.

2. *Judex quis?* — Quæritur I. Quid sit judex? Resp. *Judex*; sic dicitur, quasi *ius dicens* populo, sive quod jure disceptet. prout notatur in can. *Justum*, 23, q. 2, et c. *Forus*, *de Verb. signif.* Et definitur dicendo: *Judex*, est persona legitima, et vir bonus, juris et æqui peritus, de controversis litigatorum negotiis cognoscendi, pronuntiandi que jus habens. Ita Engel h. t. num. 1, estque in re communis.

3. *Qui prohibeantur esse judices?* — Dicitur imprimis, « persona legitima, » id est, talis, quæ a lege non est prohibita judicis officium exercere. Non enim omnes possunt esse judices; nam aliqui impediuntur natura, ut judices non sint, veluti sardus, mutus, et perpetuo furiosus, et impubes, quia judicio carent; alii impediuntur lege, seu canone, ut qui senatu motus est propter suam turpitudinem, item infamis, ac excommunicatus; alii tamen impediuntur moribus, id est, consuetudine, ut fœminæ et servi; non quia non habeant judicium, sed quia consuetudine receptum est, imo successive etiam legibus, seu canonibus insertum, ut civilibus officiis non fungantur, can. *Infamis*, § *Tria sunt*, 3, q. 7, juncta Glossa ibidem. et l. *Cum prætor*, ff. *de Judiciis*. cum concordantiis.

4. *Acta judicis illegitimi ob communem errorem sustinentur.* — Quod sit tamen servus, vel alius illegitimus, communi hominum opinione habeatur pro libero, seu legitimo; tunc propter publicam utilitatem et communem errorem, acta ejus sustinentur; seu valida censentur, l. *Barbarius*, ff. *de Offic. prætor.* Unde extat illud commune axioma jurisconsultorum: « Error communis jus facit: » estque amplius dictum supra tit. *de Officio vicarii*, § 4, n. 104.

5. *Judex debet esse vir bonus.* — Additur in definitione judicis, « et vir bonus, » id est,

incorruptus, prudens, et constans, qui nec amicitia vel consanguinitate flectatur a recto, neque odio aut muneribus in judicando ducatur, neque aliunde quid durius aut remissius statuat, quam causæ merita deposcant, sed perpenso judicio, prout res quæque postulat, constituat. Quam quidem probitatem in iudice tum sanctæ paginæ passim, tum jus civile, l. *Prospiciendum*, § *de Penis*, atque jus canonicum sæpius requirunt. Unde tr. cit. can. *Justum*, 25, q. 2, et c. *Forus*, de *Ve. signif.* inter alia notanter dicitur: «Jure non deceptare, est iuste judicare: non est ergo iudex, si non est in eo justitia:» quia videlicet officium iudicis haud exequitur, non obstante quod quandoque aliquis malus sit iudex, ut explicat Glossa in cit. c. *Forus*, §. *Non est ergo*.

6. *Ac juris et æqui peritus; et quomodo?* — Dicitur ulterius, «juris et æqui peritus,» quia regulariter iudex constitui non debet, nisi insignem juris prudentiam habeat, dummodo haberi possit; ut § 1 *Instit. de Offic. iudicis*. Nihilominus absolute loquendo ista juris prudentia non est de essentia iudicis, dummodo cæteroquin vir prudens sit, et saltem juris consuetudinarii, vel statutarii, aut eorum negotiorum, super quæ iudex constituitur, notitiam habeat, et in rebus arduis, maxime ex jure scripto dependentibus, prudentiorum consilio utatur. Engel, h. t. numero 14.

7. *In iudice, quæ requirantur?* — Quæritur II. Quænam requirantur in iudice, quæque ejus iudicium pervertant? Resp. I. In iudice quatuor potissimum requiruntur: I. Ut habeat legitimam et publicam iudicandi potestatem; II. ut iudicet secundum veritatem; id est, secundum allegata et probata, de quo plura § seq.; III. ut iudicet secundum leges, et formam ab ipsis præscriptam; IV. ut sit constans sine dolo et effectu. Et hæc omnia partim constant ex dictis, partim amplius patebunt ex dicendis.

8. *Quæque ejus iudicium pervertant.* — Resp. II. Econtra quatuor etiam modis pervertitur humanum iudicium, videlicet timore, cupiditate munerum, odio et amore. Ita habetur in can. *Quatuor*, 11, quæst. 3. Nec obstat Glossa ibid. §. *Timore*, ubi addit alios adhuc modos, videlicet nimiam severitatem, nimiam remissionem, injustam in calamitosos misericordiam, et imprudentiam iudicis; nam hi tres modi pervertendi iudicium, commode reducuntur ad odium, timorem et

amorem; imprudentia autem exinde excluditur, quia impræsentiarum sermo est de iudice, juris et æqui perito. Unde de prioribus dumtaxat quatuor loquuntur vulgati illi versiculi.

Quatuor ista, timor, odium, dilectio, census,
Sæpe solent rectos hominum pervertere sensus.

9. *Judex tenetur abstinere a receptione munerum.* — Quæritur III. An iudici liceat accipere munera, vel saltem xenia consistentia in esculentis et poculentis? Rep. I. Certum est iudicem teneri abstinere se a receptione munerum; idque non solum procedit de jure positivo humano, sed etiam divino, ac naturali. Unde *Exod.* xxiii, 8 dicitur: *Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum, cum similibus.* Econtra vero repudians munera, pro justo scribitur, *Isaie* cap. xxxiii, 15, 16 illis verbis: *Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.*

10. *Teneturque ad restitutionem receptorum.* — Quinimo iudicem accipientem munera, non solum graviter pro qualitate delicti esse puniendum, sed etiam teneri ad restitutionem; patet ex l. 8, et seqq. ff. *ad Leg. Julian. repetundar.* et l. *Jubemus*. C, eod. et c. *Statutum*, § *Si quid autem, de Rescript.* in 6; ubi etiam remissio dantis non liberat iudicem delegatum ab obligatione restituendi, si accepit munus, vel aliquid aliud contra prohibitionem illius capituli. Atque hujusmodi obligationem antea jam agnovisse videtur sanctus Samuel propheta, I *Reg.* xii, 3, ubi inter alia dicebat ad populum: *Loquimini de me — Si de manu cujuscumque munus accepi; et contempnam illud hodie, restituumque vobis.* Nam opera justitiæ venalia non sunt; nec justum etiam iudicium vendere licet, c. *Cum ab omni*, 10, de *Vita et honest. cleric.* atque, ut in can. *Qui recte*, 11, q. 3. habetur: «Qui recte iudicat, et præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat, quia justitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit,» etc.

11. *Et facit litem suam. Sententiæ venales sunt ipso jure nullæ.* — Insuper, quod venales sententiæ, seu latæ a corruptis iudicibus sint ipso jure nullæ, adeo ut appellatio nequiquam sit necessaria, textus est in l. *Venales* C. *Quando provocare non est necesse*, et can. *Et qui appellat. Diffinitiva*, §. *Venales*, 2, q. 6. Et iudex ita corruptus non solum accusari potest lege Julia repetundarum, ut proxime

dictum, sed etiam litem facit suam, adeo ut partis læsæ teneatur ad compensationem damni, l. *Si filiusfamilias*, ff. *de Judiciis*, et l. ult. C. *de Pœna judic. qui male judic.* Atque ille, qui corrumpit iudicem mediante pecunia, causam amittit, l. 1 et 2 C. eod.

12. *Judex non prohibetur recipere esculenta, et poculenta ultro oblata, quæ paucis diebus absumi possunt.* — Resp. II. Nihilominus esculenta, et poculenta, quæ paucis diebus absumi possunt sine ulla exactione a partibus oblata, iudex accipere non prohibetur, eo quod ex his minutis non præsumatur inflecti animus viri boni. Ita habetur in c. *Statutum*, § *Insuper, de Rescript.* in 6. Concordat, idque amplius declarat jus civile in l. *Solent*. § 3, ff. *de Offic. procons.* ubi quidem dona et munera proconsul accipere prohibetur, non vero in totum a xenii abstinere jubetur, sed modum adjicere, ut neque morose in totum abstineat, neque avare modum xeniorum excedat: nam (subditur) «valde inhumanum est, a nemine accipere; sed passim, vilissimum, et omnia, avarissimum,» ut habet verbum proverbium ibidem allegatum.

13. *Differentia inter xenium et munus.* — Accedit, quod appellatione doni, vel muneris non veniant xenia, per textum in cit. l. *Solent*, juncta Glossa ibid. §. *Non pertinet*. Nam *xenium* vi nominis significat munus hospitalitatis, seu munus, quod hospitibus datur; sicque solet in esculentis, et poculentis brevi consumptibilibus consistere, arg. l. *Plebiscito* ff. *de Offic. præsid.* et notat Glossa ibid. §. *Poculentumve*: ac proin xenia non sunt lucra. Glossa in cit. c. *Cum ab omni*, § *Præter expensas, de Vita et honest. clericor.* Econtra vero *Donum*, ac *Munus*, ad quantamcumque largitionem sese extendit, sicque ad lucrum pertinet, ut l. *Munus tribus*, ff. *de Verb. signif.* cum similibus.

14. *Et cur illud a iudice recipi possit, non istud?* — Unde hujusmodi munera, quæ ex intentione dantium plerumque solent dari pro obtinenda favorabili sententia, et plus æquo iudicem inclinant erga dantem, merito a iudice recipi prohibentur, ut gratis et cum omni puritate iudicium coram ipso procedat, neque animus ipsius spe lucri subvertatur, et in alteram partem inclinetur. Secus dicendum in xenii, seu esculentis vel poculentis moderatis, ac ex mera liberalitate oblatis; quia non est verisimile, quod ex tam modicis, et lucrum non facientibus, animus iudicantis moveatur, c. *Et si quæstiones*. 18. § fin. *de Simonia*.

15. *Ejusmodi xenia debent esse moderata.* — Hoc tamen intellige de xenii moderatis, seu quæ edulium non excedunt usum, cit. l. *Solent*. ff. *de Offic. proconsul.* et quæ paucis diebus (puta duobus, vel saltem habita consideratione personæ dantis, iudicis recipientis, et consuetudinis locorum, arbitrio boni viri taxandis) absumi possunt: ut d. c. *Statutum*, § *Insuper*. juncta Glossa, §. *Paucis, de Rescript.* in 6. Secus enim dicendum de excessivis, et in nimia quantitate datis; nam xenia non sunt perducenda ad munerum quantitatem, d. l. *Solent*. § fin.

16. *Et sponte oblata.* — Debent insuper talia xenia esse oblata ex mera liberalitate; hoc est, ut non sint exacta, vel petita, nec directe, nec indirecte, ut loquitur textus et Glossa in d. § *Insuper*. Proinde non debet iudex talia petere, sed sponte oblata non prohibetur accipere, quia tunc liberalitas offerentis tollit suspicionem, quam alioquin etiam in re modica, instantia induceret petentis. Vivianus in *Rationali Jur. can.* cit. § *Insuper*, post Geminianum, ibid. n. 4, et Francum numero 2.

17. *Sportularum appellatione, quid intelligatur?* — Quæritur IV. Utrum iudex pro suo labore possit exigere sportulas? Ubi notandum, quod *Sportulæ* sint quædam vasa in quibus aliquid reponi, ac deferri solet; verum sumendo continens pro contento, *Sportularum* nomine hoc loco intelligentur salaria, seu moderati sumptus in iudiciis faciendi; hoc est certa quota pecuniæ, et a partibus litigantibus præstanda, prout desumitur ex rubrica lib. III, tit. II, Cod. *de Sportulis, et sumptibus in diversis iudiciis faciendis*. Hoc prænotato,

18. *De jure civili potest iudex delegatus sportularum nomine aliquid exigere; non vero ordinarius.* — Resp. I. Spectato jure civili potest iudex delegatus sportularum nomine exigere certam quotam pecuniæ, videlicet duos aureos a principio, et alios duos aureos in fine litis ab utraque parte litigantium præstandos, dummodo summa, pro qua litigatur, centum aureos excedat. Ita habetur in Auth. *De iudicibus*, § *Ne autem*, collat. 6, quamvis hoc solum procedat in iudice delegato; nam loquendo de iudice ordinario, etiam spectato jure civili nequit is sportulas exigere, cum jam aliunde habeat salarium sibi a principe, vel publica constitutum. Engel, h. t. numero 12.

19. *De jure canonico non solum iudex ordinarius nequit exigere sportulas.* — Resp. II. Le-